inducet pater, quo quidem detecto non ſolum erit diffamata, ſed etiam ſui concubinarij vita periclitabitur. Idem dicendum de aliis exemplis prius dictis. Hoc vtiq; probat per id quod dicit. B. Paulus. 2, Cor. 10. quando dicit, ꝙ poteſtas à Deo ſibi data erat in ędificationem, & non in deſtructionem, Eccleſiæ enim ordinationes ſunt, ad nutriendam Dei, & proximum charitatem Quod tamen non eſſet, ſi in præfatis caſibus cogeretur quis, propter obſeruantiam illorũ quę introduxit Eccleſia impedimentorum Matrimonij, ſuum detegere peccatum occultum, vel ſe reddere, & mulierem cum qua peccauit vehementer de ſuo occulto peccato ſuſpectos. Hoc etiam probatur arg. eorũ quæ ponit Ang. diſpenſatio. q. 5. & Sil. diſpẽſatio. q. 9. & in verb. Confeſſor. 1. q. 6. circa finem, idem etiam. Sil. votum. 4. q. 4. ¶ Adde, quod ipſi fratres etiam poſſunt diſpẽſare cum eo, qui durãte Matrimonio cognouit cõſanguineã ſuę vxoris, vt poſſit petere debitũ, & vt poſſit mortua vxore cũ alia contrahere, hanc enim duplicem pęnam incurrit propter inceſtum, vt patet. c. 1. de eo qui cognouit conſang. vxoris ſuę. Vbi tria

nota,